

PHILOSOPHIA ILLACHRYMANS,

Hoc est,

QUERELA PHILOSOPHIÆ,

Et *PHILOSOPHORUM SCOTORUM*, (præsertim verò *Borealium*) *oratoriè expressa*:

Publicè habita in Auditorio Maximo Collegii *Regii Aberdonensis 26 die Iulii*, 1637;

Quo die Adolescentes nonnulli, Magisterii Candidati, curriculum Philosophicum emensi, & cum Laureâ *emittendi*, *Philosophici examinis rigorem sustinebant*,

In solenni Clarissimorum Virorum consessu.

Perorante *DAVIDE LEOCHÆO*, Philosophiæ Professore, & συζητήσεως Philosophicæ Moderatore *ordinario*, *dicti Collegii Subprimario*.

Frugalitatem Philosophia desiderat, non inopiam, præmium Philosophus non pœnam. *Senec. in Epist.*



ABERDONIÆ,

IMPRIMEBAT EDWARDUS RABANUS,

Almæ Academiæ Typographus. 1637.





Illustrissimo & Incomparabili Heroi,


GEORGIO,

Marchioni Huntilæo, Comiti AEniæ, Vicecomiti Badinachiæ, Lochabriæ, & Stradauniæ; Domino Strabogiæ; Baroni *de Gordon*; *Serenissimæ Regis Majestati à Consiliis Secretioribus*; *Dynastæ Arcis Invernessi*, *Duci Scotorum Equitum Cataphractorũ in Galliâ*; *Equiti Ampliss. Ordinis Balnei*: *Vniversitatis Aberdon. Inspectori ritè designato*: *Domino ac Patrono suo summoperè Colendo*; *in æternæ observantiæ monumentum effusissimas has Lycæi Philosophici querelas*, D. C. Q.
DAVID LEOCHÆUS *Philosophiæ assertor.*

EVgeniæ soboles! Gradivi cura tonantis;
Stella Caledoniæ Marchio Magne plagæ.
Quam circùm Arctophylax, quam circum cætera cingunt
Sidera, hyperboreus quotquot Horizon habet,
Plurima contiguæ cedunt cui Iugera terræ,
Hinc illinc solo Iugera cincta salo:
Qui gentilitii fultorque, ultorque, satorque
(Numine divino) Nominis unus ades:
Illustris tèr salvè Heros; quo, fulmine belli
Nunc jacet in propriis trux Lotharingus agris.
Quem reducem Rex ipse Ducem, populusque salutant,
Totaque Hyperborei Gens numerosa soli:
Mæcenas nostris multùm expectate Camœnis,
Subsidium Sophiæ, deliciumque tuæ,
Paulùm agedùm, has lachrymas atque hæc lamenta Lycæi
Sume lubens; tanto debita dona DEO,
Tristia sunt fateor: tu qui potis unus, amicam
Affer opem, & Sophiæ gaudia redde reduxe
Scotigenis qui læta tuis fers secula, lætos
Languenti Sophiæ Marchio redde dies.

Quod si te tanto maneant me læta Patrono
Te manet ingenio fama sonanda meo.









QVoties in mores Seculi descendo, & presentem hanc Reipub. Literariæ conditionem animo penitius voluo, toties innocentissimæ nostræ PHILOSOPHIÆ miserabilem deploro calamitatem; quæ ab ipsis præpotentibus omnis literaturæ fultoribus juxta ac cultoribus neglecta, pristinæ suæ fœlicitatis & avitæ gloriæ radios emittere haudquaquàm valet. Et quidem maturo Regum, Regulorum, Senatorum Regni nostri, judicio, deliberatione, ac determinatione, Disciplinis quibuscunque aliis sedulò prospectum est: Professionum juxtà ac Professorum quorumcunque aliorum incolumitati & emolumento summoperè invigilatur: Professionibus suæ substernuntur βασεῖς, constabiliuntur principia, subjiciuntur ὑπολυπωσεῖς, subministrantur præcepta, præscribuntur limites, quos transgredi vel tantillùm violare, piaculum: Sola liberè & laxis habenis, nullo sepimento cohibita, quoquoversùm obsordescit PHILOSOPHIA, nullius curâ ac patrocinio protecta, nullius labore ac ocio provecta; inconstans, vagula, hiulca, lasciva, nullis communissimis subnixa fundamentis, nullo communissimo compacta Systemate: nec tantum adeo Professionibus, quantum etiam & Professoribus quibuscunque aliis providè cautum: quibus quidem singulis & ad unum omnibus emerita, prout par est, importantur præmia & emolumenta, ad animorum non tantum, sed & corporum liberiorem refectionem: PHILOSOPHORUM verò, ipsissimo Paupertatis in Vacuo jejunantium

tium nulla ratio: negliguntur, proſcinduntur, & diræ inopiæ baculo paſſim vapulant: infirmantur elumbes, exangues animam agunt, ut ubicunque vel quotieſcunque videas, totidem verorum quaſi hominum larvas accipias: Scilicet, eſt illa horum præ reliquis conditio commiſeranda, condolenda: quod quidem facit ut fame & penuriâ ita oppreſſi, rancidulum neſcio quid ſpecioſam veræ PHILOSOPHIÆ umbellam quod referat, Tyrunculis ſibi commiſſis, intra frigidiſſimorum Gymnaſiorum ſepta ἑκόντες ἀέκοντες quà interdiu quà noctu, ad raucedinem uſque, ſubindè obtrudant.

Sed me heic à querelis tantiſper reprimo, dum ſummam diſciplinarum quarumcunque aliarum gloriam, propagationem, tranquillitatem, emolumenta itidem & alcyoneos Profeſſorum quorumcunque aliorum dies palam vobis faciam. Floret & æternùm in Regno hoc noſtro floreat Regina illa THEOLOGIA, principiis juxta ac fundamentis ſuis firmiſſimè ſuffulta & uniformiter exculta, quam nulla (DEO gratias) diſcrepantium opinionum labes inficit, nulla ἑτεροδοξίας peſtis attaminat: uniformis utrobique apud nos Paſtorum non tam ſingulorum, quam Profeſſorum ad unum omnium in re THEOLOGICA conſpiratio & harmonia, ad amuſſim VERBI DIVINI ἐγγράφως traditi eſt. De quorum victu & amictu, proventu & annuis reditibus, indies magis magiſque accreſcentibus, uti hactenus, ita etiamnum ſummoperè proſpicitur, communibus Regis, Regnique ſuffragiis, & adſtipulante quorum eſt, omnium authoritate: quorum fœlicitati tantum abeſt invideamus *PHILOSOPHI*, ut ὁμοθυμαδὸν potius comprobemus ac congratulemur φιλόθεοι.

Nec tantum *THEOLOGIÆ* modò, ſed & *PHILO-*

LOGIÆ

LOGIÆ & Amœniori Literaturæ ſua eaque ſumma apud nos amœnitas eſt: De re Grammaticâ (ut ſigillatim ſingula) abundè non ita pridem ab ipſis Politioris Literaturæ Anteſignanis conſultum fuiſſe, vel argumento eſſe poteſt, egregium illud *D. DAVIDIS WEDDERBURNI*, *ABERDONENSIS* Scholæ Scholarchæ meritiſſimi, Syſtema Grammaticum verè aureum, compendioſiſſimâ methodo & accuratiſſimâ docendi formulâ exaratum, unanimique omnium quorum intererat, applauſu & authoritate comprobatum; quò, tanquam Archetypo & exemplari inſtar omnium uno, (repreſſis & inſuper habitis quibuſcunque aliis aliorum hac de re conatibus) tenellæ Iuventutis imbuantur ingenia, & ad ſublimioris Literaturæ ſtudia promoveantur: Quinimo & iſtis (quorum ex profeſſo eſt hanc excolere) ſuæ unde vivant aſſignantur mercedulæ & laborum præmia, quanta nimirum ſatis ad inopiam arcendam, & ad vitam tranquillè & ſobriè tranſigendam: Lege cautum, & quidem optimo prout par eſt jure, de Ludi-magiſtrorum in ſingulis cùm Oppidis tum Parochiis, re & proventu: Vivunt, vigentq; ſecuri illi in Ludis ſuis, congeſtis illis & annuatim collectis ſtipendiolis ſuis: (præterquam quod alicubi, laborum gravitati annua Præceptorum Salaria, ne adhuc quidem quod dolendum eſt reſpondeant:) quod de dicto *NEABERDONENSIS* noſtræ Scholæ Moderatore (omnium qui inter nos cum laude invigilant longe primo & meritiſſimo) intelligi volumus: uſque-adeo undequaque penè querendi materies ſeſe ingerit. Floret tamen illa quam profitentur Ars Grammatica, Syſtemate ſuo tanquam ſepimento tuta, eadem doctrinâ, methodo, & docendi formulâ tranſmiſſa & ad Archetypi amuſſim diligentiſſimè tradita, quam negligere & Tyronibus non proponere, piaculum.

Cæterùm, nec heic prætereundum, quod pro redintegratione, & inopportuno inopinatoq; aliarum Professionū constabilimento (in quibus per tot retrò secula, excellentię & utilitatis ipsissima apud nos obsolevere insignia) tantâ non tam Authoritate quam animorum cum impetu non ita pridem factitatum. Quorum quidem laudabilis in strenuâ tam speciosæ rei procuratione, sicuti per omnia & ab omnibus approbandus conatus, ita & oppidò condolendus dispar successus: Constat quippe (ut ad particularia, & quæ Rempub. hanc nostram literariam attinent) constat inquam utramque illam *MEDICINÆ* & *IVRIS* utriusque Professionem, maturo IACOBI SEXTI τοῦ μακαρείτου judicio ac determinatione, unanimique *SENATVS* utriusque cùm Civilis tùm Ecclesiastici deliberatione & calculo suppressam, (justissimas hauddubiè ob rationes) hactenus quidem obsolevisse; nunc verò de integro restitutam utramque, reditibus saltem suis & proventubus annuis (si non aliò) usque-adeò inturgescere, ut cum ipsâ illa omnium Reginâ Professione Theologicâ (hac saltem in re) comparationem instituere audeat. Sola, sola interim illa nostra (specioso nescio quo titulo fœlix, an infœlicior potius) PHILOSOPHIA, partim temporis injuriâ, partim hominum incuriâ, in obscuro profundissimi silentii angulo obtorpet, & secretis quiritationibus deplorandam sui conditionem ruminat: negligitur, prætermittitur, tanquam ipsa foex insipida, & infensissimus purioris eruditionis hostis esset.

Verum-enim-vero, (ut rem sine fuco & felle) quid quæso causæ quod nostra hæc, quæ nobis pro virili excolenda proponitur PHILOSOPHIA, usque-adeo hodiè hiulca, lasciva, inconstans, vagula, tot tantisque

Paradoxor

Paradoxorum nubeculis obruta, & inanium Sophiſmatum labyrinthis perplexa appareat? Quorſum tantus Luxuriantium ingeniorum pruritus in re Philosophicâ uſque-adeo uti hactenus erupit ita etiamnùm erumpit? Ut quoquò temet hodiè convertas, perſpicias ilicò quot capita tot ſententias ipſiſſimis genuinæ Philosophiæ in fundamentis immanè quantum diſſentientes; ut non tam ii quos Philosophos vocitant lucem rebus attuliſſe, quam tenebras potius ac veluti noctem aliquam offudiſſe videantur: ad dolendam innocentiſſimæ noſtræ Philosophiæ non tam infamiam quam πανολεθρίαν verius? Quorſum inſuper tanta *PHILOSOPHORVM*, hac præſertim tempeſtate laborantium, in hariolando inconſtantia ac libertas, ut quod huic nunc & hodiè perquàm ſubridet, quod ſubrideat, quod pro veritate indubitatâ eſſe poſſit, eidem idipſum poſt & cras perquam diſplicet, utque cum Comico loquar, quod modò dictum indictum, quod modò ratum irritum fit: acſi ipſe extra ſe eſſet, & ſibi ſatis parum conſtaret? Ac, ut verbo, quorſum ſingula, quorſum omnia in *PHILOSOPHORVM* Gymnaſiis uſque-adeo ἀσύμφωνα, ut quotieſcunque *PHILOSOPHANTES* accipias, merè inſanientes potius quàm verè *PHILOSOPHANTES* habeas? Verbo reddam! Mira ac mera *PAVPERTAS* eſt quæ ad inſaniam uſque-adeo nos rapit; cujus flagello ſolo elumbes vapulamus *PHILOSOPHI*: eopſe præſertim temporis articulo quo Tyrunculis noſmetipſi noſtris ſeverioris diſciplinæ flagella admovemus: Scilicet,

Nil habet infœlix paupertas durius in ſe,
Quàm quòd ridiculos homines facit. —

Sola, ſola inopia eſt quâ ſolâ ſoli deprimimur, quâ in meditando, docendoque uſque-adeo hallucinamur,

quâ philosophicè insanimus, quâ denique nosmetipsi nobis nuspiam constare videamur.

Vos in re adeo perplexâ vel Medicos appello, quorum ex professo est in humani corporis temperamentum, inque disturbati cerebri δυσκρασίαν introspicere, causas rimari, mederi sicubi opus, & *PHILOSOPHIS* prę sertim tantoperè laborantibus adhibito diligentiæ & artis vestræ Alexipharmaco gratis subvenire: dicite sultis Medici, quid cerebrum magis quidve judicium præsertim Philosophicum, quam dira necessitas, quam quotidiana victus & amictus indigentia conturbabit? Humorem fames adustione suâ incurabili omnem penitus depascit, vigorem inedia paulatim imminuit, ut subinde penitus extinguat, & inevitabilis paupertatis imago horrida, grassantisque inediæ & egestatis continua recordatio nunquam non obveniens periculosam Phantasiæ vertiginem imprimit, & interioris judicii aciem infœlicissimâ nescio qua irruptione enervat: Undè illa hodiè in modis apprehendendi indebitis, si non puræ negationis, saltem pravæ dispositionis ignorantia deflenda, & *PHILOSOPHORUM* temeritas plusquam toleranda? Quidni igitur delirabit *PHILOSOPHUS*, ad incitas (uti aiunt) usque-adeo revocatus, in Proletariorum numerum nunquam non relatus, qui cum *GALLICIS* illis Bliteis diurnum passim quæritat, qui ne de suo quidem habet (ut *SENECÆ* verbis utar) quo vel ventri aut Scapulis suum reddat, ac ut verbo qui præter-propter vitam suam, non in ipsa vivit, ut ait ille. Cui paupertas malesuada tantopere & invidet & obest, quem lancinat, quem pungit; qua interdiu, qua noctu; quà in Gymnasio, quà extra.

O intolerabilem Inopiæ necessitatẽ, *PHILOSOPHIS*

præſertim, quorum (ſi non eſt præ penuriâ) ſaltem ex officio eſſe debet, herculeo labore & animoſitate ſublimia quæque intentare, nec quidpiam inexploratum intactumque derelinquere quod humana mens vel concipiendo aſſequi valeat: quorum eſſe debet liberrimâ cogitatione, & tranquillâ mente, ampliſsimum hoc totius Univerſi Theatrum ſubindè inviſere; penitiſsima terræ viſcera, & profundiſsimos Centri receſſus audaciſsimè perrumpere: in ſublimi ſuſpenſa, & in aëre pendula variorum generum Meteora perquirere; ſecretiſsima Ventorum penetralia & clauſtra indefeſſo pede inviſere: reciprocas fluitantis Oceani viciſcitudines ipſiſsimâ Rationis in bilance librare, & rei tam ſtupendæ cauſas, ortus, rationeſque (ſucceſſu ſupra Ariſtotelicum) penſiculatè perſtringere: Pluvias, grandines, tonitrua, cæteraque id genus alia quæ vel ad Nubes, vel in Nubibus, prævidere, & ad accuratam φαινομένων obſervationem fideliſsimo prognoſtico futura prænunciare: admirabilem Elementorum jugiter confligentium, & ſibimet-invicem mutuò in Miſti generatione adverſantium quaternionem ſigillatim per omnia ponderare: in quintam denique illam *ARISTOTELIS* Eſſentiam, puriſsimam illam quidem & corruptionis immunem

Quam non fuſcat hyems, quæ nullo tingitur imbri,
entheâ quadam animoſitate, & Archimedæâ tranquillitate gradatim conſcendere, Cœlorumque Motus, Orbes, Figuras, Plagas, Vices, vireſque & id genus alia perluſtrare: vaſtiſsima Planetarum corpora, curioſo Inſtrumentorum artificio accuratiſsimè commenſurare, & ſcintillantes Siderum fixorum globulos ſubactiſsimi judicii digito quaſi connumerare: abſtruſiores rerum cauſas, & abditiſsima Naturæ Ænigmata, diligentiſsimâ indagine perſcrutari; quibus ſi pau-



pertas, ſi dira fames, ſi denique rerum penè omnium inopia continui comites, quid quæſo ſpei de fœlici tantæ provinciæ ſucceſſu, deque optato ſtudiorum eventu proventuve fiet?

'Itum eſt, & etiamnum itur in abditiſſima Terræ penetralia, auſpicio, ductu, & ſolo lumine *PHILOSOPHICO*; ad intima uſque Auri Argentiq; & omnis generis Mineraliũ viſcera perfodienda, prelucente illâ ſolâ ſubtiliſſ. Philoſophorũ faculâ, quâ ſubmotâ, Talpa indubiè fuiſſet omnis cæteroquin ἀφιλόσοφος: hinc illa tot & tanta, in occultiſſimis Divitum Theſauris & Loculis repoſta Auri Argentique Talenta: quorum χρῆσις καὶ κτῆσις per fas nefaſque, ab innocentiſſimis *PHILOSOPHIÆ* Profeſſoribus, tanti Muneris primis præcipuiſque procuratoribus violentiſſiimè hodiè detinetur: ut quod Divitias Vulgus vocitat, *PHILOSOPHIS* præſertim χρήματα non ſint, ſed inexplebili avaritiæ conſecrata κτήματα. Itum inſuper ab Agricolis, in exteriorem parturientis Telluris ſuperficiem, unciſſimorum Aratrorũ ope & adminiculo, ipſiſſima præpodigæ Cereris ad Munera perquirenda, & omnis generis fruméta multiplicanda, ſine quorum uſu quotidiano robuſtiſſimus non tam Agricola, quam ſaluberrimus ipſe omnium, Medicus extremam vitæ reſolutionem ſubiret: Sed quiſnam amabò tanti laboris tam ſtrenuus indagator, director, & omnium primus commonſtrator? An Ruſticus ipſe villanus? Atqui omnium calculo ignaviſſimus is: An Medicus? Atqui hujus ex profeſſo pridem fuit & etiamnũ eſt Microcoſmi ſolius Campum & humani Corporis ſterilitatem Panaceâ ſuâ recreare: An Iuris utriuſque peritus? Atqui illi unicè demandatum, ſemetipſum in Civitate continere, & inibi ſuppullulantibus in fori Viridario jurgiis, ſi non

præſſe

præesse, saltem interesse, & vacillantis per omnia Clientis causam pro rostris agere: Quid ergo? Si ne his quidem aliisve, utique hoc quicquid operæ est, *PHILOSOPHICO* lumini & *PHILOSOPHORUM* molimini unicè adscribendum erit: quibus omnium primo, non tam interioris Terræ innotuere qualitates, quam & exterioris Telluris ad seminandum commodissimæ, temperatura & vis: qui per quadripartitam illam Anni varietatem ejusque expressissimam indigitationem, Agricolis normas, & luculentissimas observationum πρόγνωσεις naturalissimâ suâ perspicacitate omnium primo fecere, de circumstantiis nimirum loci temporis & id genus aliis diligentissimè observandis: præsertim vero de subventuræ vel tempestatis Cataclysmo, vel siccitatis intemperie, vel noxiâ Ventorum irruptione: quod nisi fieret, ilico de fælici Agricolarum successu, deque optatâ Vindemiæ prosperitate & proventu actum foret. Ista quidem Philosophi & id genus commoda & emolumenta mille alia ad vitæ humanæ sustentationem perquam requisita liberrimè & benevolentissimè uti hactenus, ita etiamnum labore & industria suâ important: qui tamen interim, proscriptione nescio quâ, ab annuorum proventuum vel moderatâ fruitione, & ab omni penè dixerim Annonæ importatæ possessione & fructuum usu, posthabito omni εὐεργεσίας & Charitatis respectu indignissimè prohibentur: Quibus quidem hodiè & prout ætas fert, vel exoptandæ Decimæ Decimarum Decimæ ad inopiam sublevandam, & ad vitam tranquillè & sobriè transigendam: Ut parum absit, quin *PHILOSOPHIS* hodiè nostris omnium maximè quadrare (si non debeat) saltem possit Virgilianum illud totfariam ingeminatum. (*Sic vos non vobis*, &c.)

O deplorandam ingratitudinem vel Ethnicis invisam! Quod primi procurarunt subtilissimâ suâ indagine *PHILOSOPHI*, usque-adeo hodiè ultimi merentur, ut ære & proventu penè nullo vel perquam modico mereant: undè hodiè fit, ut rei familiaris oppressi penuriâ, fæcunda literaturæ *PHILOSOPHICÆ* semina roris debiti favore & beneficentiâ neutiquam rigata, in inculto Iuventutis agello arescere sinant: Undè fit, ut in obscuro clarissimum purioris *PHILOSOPHIÆ* lumen delitescat, & sitibundis lucernulis præ defectu Olei penitus extinctis, stilo *PHILOSOPHI* aut calamo ad Lunam quæ per somnum conceperant enotare cogantur; quibus ne vel stips in Marsupio aut drachma quâ vel Vacuum propellant, vel promovendis continuandisque Philosphicis studiis Aristotelicum sibimetipsis textum coëmant: Undè fit, ut qui in fortes Reipub. columnas poterât excrevisse, subtilissimi ingenii capacitate dotati, PHILOSOPHANTIUM Gymnasia derelinquere cogantur; & à Nectareo PHILOSOPHIÆ (quam primitùs degustaverant) poculo violentissimè propulsi, solâ inediâ novercante, aliorsùm palabundi abripiantur: Hic, necessariis orbatùs subsidiis, residuum vitæ peregrinando transigens, natali solo nolens volens valedicere cogitur, paupertate malesuadâ suadente: Cui rei fidem faciendo (ut reliquos silentio prætermittam) insignis illa SCOTORUM PHILOSOPHORUM trias succurrat: Admirabilis primùm CRICHTONUS, constantissimus præ paupertate domesticâ peregrinus; in subtilitate, præserim PHILOSOPHICÂ, solus sine compare: cujus memoriam, famam, gloriam, nedum SCOTIA quæ genuit, nedum ITALIA quæ fovit, sed & Orbis qua patet universus æternùm deprædicabit. BALFOREUS

ille

ille nostras, Aristotelicæ subtilitatis Doctor resolutissimus, ad *GALLOS* hinc præ necessitate transmissus. IACHÆUS ille *ABERDONENSIS*, calamitate non absimili commotus, *LEIDENSIS* Literaturæ ocellus, & in re PHILOSOPHICÂ omnium inter *BATAVOS* versatissimus; quem benignissimis non ita pridem impensis, impensissimè *BATAVI* & liberalissimè aluere. Ille itidèm, ab Orthodoxâ Religione miserrimè desciscere, & salutaris fidei naufragium facere extremæ necessitatis impulsu compellitur; & fallaci amœnioris affluentiæ & divitiarum laqueo irretitus, damnoso *IESVITARVM* aucupio lubens volensque se submittit: Cujus generis Apostatas non paucos, *GERMANIA*, *GALLIA*, *ITALIA*, uti hactenus ita etiamnum fovent. Ita pro pauculis minimisque quibus acquiescit Natura, Athletæ amittuntur egregii, ad summum Literaturæ, non tam humanioris quæ inter nos est, dispendium, quam Relligionis nostræ Orthodoxæ vilipendium.

Sed ab his me reprimo; quodque in omnium ore & oculis est, palam hodiè proferre non verebor: Convertite quæso oculos ad *PHILOSOPHICAM* quæ in Regno nostro est Professionem, ejusdemque hac tempestate collaborantes Professores, singulos & ad unum omnes. Ecquem quæso reapsè *PHILOSOPHVM*, hoc est, eruditum sagacem, acutum invenietis? quem dabitis qui subtilitate PHILOSOPHICÂ vel sibi, vel Patriæ suæ splendori, aut ornamento sit? Qui perdius pernoxque aut pernix in hoc sit? Cujus ἔργον per universam vitam PHILOSOPHIA sit, hanc ut ornet Spartam, hanc ut promoveat provinciam? Quid porrò causæ cur tot tamque eximios apud exteras nationes Dynastas, & in re PHILOSOPHICÂ omnium versatissimos

nos videamus? Quod ab his, tanquam Luna à Sole, PHILOSOPHI nos, mutuatitiam illam (quantulacunque illa sit) lucem & philosophandi rationem habeamus? An quæso quod Scoti nos σκοτίοις nube obvolvamur? An quod rudes, quod agrestes, quod denique tantorum Mysteriorum incapaces? Minimè gentium: Enimvero uti hactenus inter *SCOTOS* nuspiam deerant, qui cum magnis illis *PATAVIÆ* Luminibus ZABARELLÂ & PICOLOMINEO æmulis, qui cum *MEXICANO* illo *AMERICANO*, qui cùm Systematico illo *KEKKERMANNO DANTISCANO*, qui denique cum *CONIMBRESENSIBUS* illis sibimet-invicem usque-adeo suffragantibus, cæterisque ejusdem notæ & nominis *PHILOSOPHIS* exteris, pro emerito PHILOSOPHICÆ subtilitatis brabio comminus eminus in arenam descendere subindè intentaverant, ita etiamnum non desunt (modò rei familiaris mediocritate, & necessariis uti par est sublevarentur subsidiis) quorum insignis in philosophando perspicacitas, *SMIGLESIOS*, *ARIAGAS*, *MENDOZAS*, & si quos id genus alios alibi florentes Neotericos quàm multis parasangis transcendere possit.

Quid ergo? Vultis hujusce rei tam vituperandæ rationem? Verbo reddam; Professorum hac præsertim tempestate in PHILOSOPHIÆ pulvere desudantium tantilla ratio & reputatio est, ut ne ipso quidem (apud nos præsertim) Professorum elogio (quod quidem omnium minimum facillimèque concedi possit) insigniantur: ut Pædonomi potius mercenarii, vel abjectissimi potius *Burserii* (vocabulo, cujus etymon non tam nostris ignotum, quam emphasis ignominio plena) quàm veri Professores mercantur: Quibus quidem annuatim, vel nulla, vel tantilla sequestrantur

Salaria

Salaria, uti vix integra à ventre vacuum propellant: Dummodo interim qui ἔξωθεν sint alii, specioso nescio quo Professionum suarum prætextu, sibimet-ipsis omnia, quæ vel utilia vel speciosa vendicent, ac pro peculio reputent; depeculatis interim deplumatisque misellis illis PHILOSOPHIÆ Professoribus, Platonici illius Galli in morem: Quorum quidem hodiè & prout ætas fert, fatum est, in jejunis illis Gymnasiorum suorum angulis sibimet-ipsis & Musis suis cantillare, & ingratum nescio quid Tyrunculis suis, (multo sudore, & precibus conquisitis) subindè inculcare; quibus totus (uti aiunt) aër nebula, & quicquid flaverit Aquilo est, quorum universus annus, hyems, & una dies annus est: qui num ipsi vigilent, num dormiant, in suspicione jugi sunt: quibusque pro prælectionum Themate, per universam vitam sufficere possit, vel Virgilianum illud

Disce puer Virtutem ex me, verumq; laborem,
Fortunam ex aliis lætam ——— ———

Undè fit, ut vixdum plenè Lycæum PHILOSOPHICUM excolendæ non tam Iuventutis, quàm *PHILOSOPHIÆ* quam profitentur gratiâ, introgressi *PHILOSOPHI*, egressum statim meditentur: atque ita *PHILOSOPHIAM* primoribus vixdum labiis degustatam, momento citius nauceabundi respuant: Non quod ipsis humanæ PHILOSOPHIÆ displiceat studium, sed quod PHILOSOPHIÆ promovendę neutiquam subrideat Brabium & Minervale debitum; Minervale inquam, tantillum quidem ex se, ut justissimas Minervę cęteroqui modestissimę querelas extorqueat: Quid igitur mirum, si ęternùm PHILOSOPHIA inter nos obdormiat, si inculta jaceat, si denique usque-adeo neglecta

vilipend

vilipendium juxtà ac dispendium ipsa patiatur.

Bone DEUS! In quæ nos tempora reservasti? Tempora ingrata, tempora amara, tempora inhumana, tempora suspiriis & lachrymis plenissimâ: Ecquis enim PHILOSOPHO quondam celebrior? Ecquis ipso charior? Ecqua quondam liberrimâ *PHILOSOPHIÆ* disciplinâ illustrior, aut appetibilior? Ecquod unquam in humanis studium, Philosophico jucundius extitit? Percurrite sultis universam venerandæ Antiquitatis seriem: Contuemini vel Magnum illum Terrarum Domitorem *ALEXANDRUM*, qui (præterquam quod summo Stagiritam nostrum honore & veneratione prosequebatur) majorem etiam se (quod majus & mirabilius) magnum illum dolii inhabitatorem Diogenem (utpote quod *PHILOSOPHUS* fuisset) pronunciare non erubuit. Qui, præmisso colloquio, Regi quondam Maximo, confessionem extorsisse hanc creditur, *Nisi Alexander essem, Diogenis fortunam optarem*. Memoriæ proditum, tanti semper VESPASIANUM *PHILOSOPHOS* apud se habuisse, ut vel interioris pectoris ostia omnium maximè *PHILOSOPHIS* adaperta præbuerit: cui confirmando, vel argumentò esse potest, quod Apollonio quondam P*HILOSOPHO*, accessum ad Dionem & Euphratem P*HILOSOPHOS*, apud se jugiter diversantes, respondisse dicitur; Ἀκλείστους παρέχω τὰς θύρας τοῖς σοφοῖς ἀνδράσι, σοὶ δὲ καὶ τὰ στέρνα τὰ ἐμὰ ἀνέῳχθαι δοκεῖ. Utinam nobis hodie, omnium maximè adflictissimis P*HILOSOPHIS* (quotiescunque Charitatis, Beneficentiæ, & Liberalitatis limina pulsamus) tantâ copiâ & effusione Misercordiarum σπλάγχνα effunderentur! Utinam etiam quotquot hodie P*HILOSOPHIÆ* Professores in Regno nostro extant, totidem unà essent, interessent,

& present

& presentissimo suo auxilio adessent Vespasiani oppitulatores, qui Philosophis prò Misericordiæ foribus abjectissimè prostantibus, nedùm exteriora humanitatis ostia, sed & interiora animorum τὰ ςέρνα adaperiant.

Sed me heic consultò reprimo, ne effręni licentiâ præscriptas Mediocritatis & Modestiæ metas desultoriè transilire videatur Oratio. Unum dictis superaddere in transcursu licebit, oculatissimum licet illum sui temporis Senecam, falsissimo nescio quo prognostico, summam Philosophiæ & Philosophorum ut tranquillitatem nunquam desituram, ita & dignitatem nunquam intermorituram prædixisse: *Nunquam* (inquit) *intantum convalescet nequitia, nunquam sic contra virtutes conjurabitur, ut non Philosophiæ & Philosophorum nomen venerabile & sanum maneat.* Hæc ille, haruspicio nescio quo, futuri incertissimus: an deliberatè satis & fideliter, judicent hodiè adflictissimi quorum interest per omnia Philosophi.

Verum-enim-verò, tolerabilior quidem inopia hæc nostra foret (qua tantopere depressi nos, & de quâ usque-adeo queruli) modo vel libertate (aliis ad lubitum concessâ) vel aliquali laborum intermissione, laboriosissimi nos potiremur Philosophi: Modo nobis vel tantillum ocii, aut tranquillitatis suppeteret, quo vel prandiolum Philosophicum, (multo amaritudinis felle conditum) raptìm sumere, vel spiritum recolligere, vel somno & vigiliis vacare, præ jugi laboris inquietatione concederetur. Vos conscios Gymnasiorum Lares appello! Edicto, sultis, vestro (semotâ omni προσωποληψίας suspicione) palam fiat, quid vobis de singulis seorsim, quid de singulorum meritis, eorundemque Provinciis, & prælectionum pro-



fectu, quid ſpeciatim de inexhauſtis infandiſque Scotorum Philoſophorum laborib⁹ & vigiliis ſentiendum? Ecquis enim, (DEUM immortalem) vel *ATLAS* tanto Philoſophorum oneri ſubeundo par? Præterquam enim quod hi Cœlum ipſum, quæque ſub ipſo ſunt ſingula, humeris quaſi ſuis ſuffulciunt, hoc eſt, abſtruſiſſimas eorundem naturas, conditiones, proprietates, ἐνεργείας, quæque in ipſis deliteſcunt, abditiſſima quæque, in apertam lucem proferunt, innumerabilib⁹ inſuper & aliis laborum generibus (queis vel intentandis impar, modò ſuperſtes Hercules) ad infimam uſque πανωλεθρίας abyſſum, miſerandum in modum degravantur: Nunc intollerabilem Ixionis pęnam, ab Harpyeis neſcio quibus ſuſtinendo; hoc eſt, renovatam dilacerati cordis conſumptionem, an conſumptam potius renovationem nunquam non crudeliſſimè tolerando; quorum vel interiora pectora, ęrumnarum curarumque nunquam non ſubingruens vis (ut verbo Vitruviano utar) feneſtravit: Nunc vehementiſſimam Tantali ſitim ſitiendo; hoc eſt, in mediis circumfuſæ voluptatis fluminibus, inani quod præterlabitur conamine captitantes, ipſiſſimam, præ rei fugitivæ deſiderio, Animam exhantlando: Nunc (quod in jugi motu & volutatione eſt) Syſiphi quaſi Saxum laborioſiſſimè revolvendo: hoc eſt, recurſantes Philoſophici penſi viciſcitudines inceſſanter ſubeundo: quà commiſſum ſibi gregem leniter monendo, quà & acriter cohibendo, quà aſſiduè invigilando, quà ſtrenuè incumbendo, quà diebus non tam legibilibus illis (Profeſſoribus quibuſcunque aliis indictis) quam Septimanæ & Anni ſingulis, quinimo & ſingulis ſingulorum horis momentiſque nunc docendo, nunc examinando, nunc inculcando, nunc reiterando

terand•

terando; quà passim syllogizando, quà solvendo, quà distinguendo, quà probando, quà negando, quà amplificando, quà exemplificando; quà per omnia longissimo itenere studiosam juventutem præceptis imbuendo: quà denique annuatim philosophici examinis rigorem sustinendo & in solenni Clarissimorum & literatissimorum virorum consessu, comminùs eminùs in arenam philosophicam descendendo: Ac ut verbo, dum ferias alii suas tranquillè, & summâ in securitate peragunt, dum libertate rerum optima potiuntur, soli soli interim nos Philosophi pro proletaneis habiti, inermes, vaguli, penduli, παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι, anniversariis hisce partim declamationibus, partim dimicationibus scholasticis erumnosissimè discrutiamur: Ut desperandum nobis vel hodiè sit de indicti hujusce Duelli Philosophici successu, modò vos (quibuscum hodiè congrediendum) Pancratici, ex merâ vestrâ Misericordia violentiam in dimicando solitam paulum de more remittatis. Ad cumulum etiam accedat, periculosa illa quotidianæ Conversationis & Morum censura, & rigidissima vitæ Philosophicæ in minutissimis quibusque animadversio, (quod Philosophis nostræ tempestatis gravaminis instar omnium unius loco obveniat:) Utpote quod hi omnium obtutui & oculis maximè expositi, & in summo quasi Montis cacumine totidem quasi Lychni inardentes constituti, severioribus prætereuntium Momorum & Aristarchorum non tam crisibus quam calumniis subjiciantur; usque-adeo ut quod aliis vel ex authoritate licitum, vel legitimo jure concessum, Philosophis insolidum denegetur. Hæc est illa, si non accuratissima Philosophici infortunii delineatio, aliqualis saltem ejusdem adumbratio, quam qui vel animorum oculis

sub jic

ſubjiciunt, vel exterioribus auribus fluxìm accipiunt, nę ego illos, Marpeſias quaſi cautes, & præcordia ipſo vel Adamante duriora circumgeſtare dixerim, qui calamitate tam triſti nobiſcum unà non commoveantur.

O quàm juvaret, quàmque è re literariâ eſſet ulterioris exhilarationis ergò, ſubtiliſsimis Scotorum Philoſophorum indulgere ingeniis, ſuccurrere inopiæ, ſubvenire neceſsitati, & ex ſuperabundante proventuum redituumque promo-condo & liberalitatis Gazophylacio, aliqualem quo commodius vivant vigeantque debitæ mercedis portiunculam ſeponere! Quod quidem modo fieret, amodô rutulantiſsimum purioris Philoſophiæ jubar, (quæ æternæ Veritatis σπάϱαγμος ab Alexandrino dici conſuevit) ad obtenebratæ capacitatis Nadir quod jam reſidet, ſupra judicii horrizontem ſeſe exereret, & in ſubtilitatis noſtræ Zenith tandèm recumberet: Amodò in Philoſophando ſumma dexteritas, amodò in profitendo ſumma eſſet proſperitas: Amodò non Annum non Annos, non Iuventutem ſolùm (uti moris eſt,) ſed in optato Philoſophiæ pulvere ad extremum uſque conſeneſceret Philoſophus: Amodò inter nos qui cum Scoto Scoti in ſubtilitate, qui cum Thomâ in eruditione decertarent non pauci: Amodò omni-jugæ eruditionis Athenęum univerſa quà patet Scotia eſſet; & exindè tanquam ex equo Troiano, innumerabiles militiæ ſcholaſticæ Coryphæi, non indecoro pulvere ſordidi, velut agmine facto turmatim ſubindè erumperent, qui cum exteris illis uſque-adeo hodie conſpicuis Philoſophis punctim per omnia congrederentur. Indè Chyrurgus quo exactius anatomizet, indè Medicus quo Corpus humanum fœlicius introſpiciat, indè Alchimiſta quo Lapidem Phil

dem Philoſophicum faciliùs acquirat; indè Iuris utriusque peritus, quo ritè Syllogizando, prò roſtris fortiùs agat: indè & ipſe Theologus quo Heterodoxorum inſidiis, & ſophiſmatis cautiùs occurrat: Ac (ut verbo) unà omnis effloreſceret literatura, clariſſimis remuneratæ Philoſophiæ radiis colluſtrata.

Atqui à tergo nonnullos acerrimè reclamantes, & authoritate neſcio quâ advorsùm inſurgentes accipimus, innocentiſſimam hanc noſtram Philoſophiam calumniis adpetentes, & offenſiſſimis paſſim dicteriis proſcindentes: ocioſiſſimum nimirum luxuriantium Ingeniorum commentum, fallendi temporis cauſâ confictum, uti hactenus extitiſſe ita etiamnum eſſe; ad humanam interim ſocietatem, vel Reipub. emolumentum ne hilum quidem de ſuo conferre: proindeque ipſos inutilis hujuſce & odioſæ Diſciplinæ Profeſſores ne vel aſſe beandos, ne vel ipſo Profeſſorũ elogio inſigniendos, multo minus condignis ſtipendiolis afficiendos, aut aliquali facultatum, aut proventuum auctura donandos: Quodſi quidpiam illis aut erogandum, aut ex gratiâ concedendum, ex communi Reipub. literariæ ærario deſumi neutiquam debere, quin potius ex merâ eaque voluntariâ Parentum beneficentiâ & arbitrio (quorum liberos in Philoſophiâ, & Artibus liberalioribus inſtituendos ſuſcipiunt) aliqualem illis mercedulæ portiunculam ſequeſtrandam, quæ Philoſophis omnium abjectiſſimis ſatisfactionis loco ſufficere & poſſit, & debeat. Hi ſunt (Aud.) qui ſpecioſo neſcio quo Profeſſionũ ſuarum prætextu, Profeſſionũ quarumcunque aliarum (præſertim verò Philoſophicæ) famam, gloriam, & exiſtimationẽ pro virili imminutum eunt. Quibuſcum hodie congredi operepretiũ non erit.

Hoc tantùm obiter, & in tranſcurſu æquiſſimis

 ſimis



ſimis Arbitris judicandum remittimus, num rationi congruat, aut è re literariâ ſit, Profeſſores, ſolo nomine, & titulo tenus conſpicuos, an potius humanarum diſciplinarum Profeſſores non tam nomine quam ſtudioſorum ſuorum numero inſignes, condignis præmis afficere? Numquid enim qui titulo ſolo Ἑκατοντάρχης audit, ad geometricam diſciplinæ militaris regulam, illi in remuneratione,& præmio coæquandus,qui inſtructo Militũ ſuorum cũ Centenario comminùs eminus in arenã indies deſcendit? Numquid reportatâ victoriâ, & prælio fœliciter geſto, ipſe exercituum Dux ad milites, (ipſo longè pauperiores) remittẽdus? ut ab his Donativũ ipſe ſuum & fortitudinis brabium precariò & ignominiosè exigat? Quodſi quidpiam fortè illi ex merâ gratiâ &ultroneâ militum ſuorum liberalitate, in debiti obſequii & obſervantiæ pignus elargiendum, an quæſo pro re tantillâ, & ex ſe fortuitâ, compactâ ſupremi Principis mercede & liberalitate illiberaliſſimè privabitur? Vin' verbo quid per hæc? verbo reddam: Exemplo primum tuo præi Philoſophorum quiſquis es Antagomiſta: hoc eſt, Studioſos tuteipſe tuos (ſi qui ſint) mercedem tuam depoſce, quâ ſolâ contentus vivas, inſequemur à tergo quantocyus Philoſophi ſtudioſorum noſtrorum præmiolis contenti. Sed me reprimo! Subinnuiſſe, ſatis, quod vobis ſigillatim perſtringere inpreſentiarum neutiquam nos penes eſt.

Heic porrò, (fieri poſſit) alio nos telo adpetat Ianus bifrons quiſquis is, & univerſum Antiquorum Philoſophorum agmen junctim objiciat; prima nimirum illa & principaliſſima purioris Philoſophiæ lumina, Philoſophiam cineribus obrutam & læthali Protoplaſti contagione è cæcis mortalium mentibus

penè

penè extinctam, indefessis suis laboribus & vigiliis qui primi adinvenerunt, adinventam locupletarunt, locupletatam consummarunt, & consummatam posteritati transmiserunt, Academicos, Stoicos, Peripateticos ad unum omnes, priscos nimirum illos, voluntariam Paupertatem divitiis longè anteposuisse: edocuisse gratis, promovendæ potius Philosophiæ quam rei familiaris ergò: ac ut verbo, strenuè unâ omnes laborasse olim, citra omnem longè mercedis compactæ intuitum: Socratem illum oraculo sapientissimum, modico contentum vixisse: omnia sua secum semper Catonem transportasse, & universam uti aiunt substantiam suam indutum fuisse: Zenonem, Chrysippum moderata suasisse: Senecam Lucilio suo paupertatem contubernalem adhibuisse, utpote quod parvo fames contenta, magno fastidium sit: & si vacandum animo, futurum illum vel pauperem, vel pauperi similem: Philosophiam nos ipsam docere ne ad calculos (uti aiunt) sedeamus, ne Oceanum Philosophicum divitiarum sacculis degravati tranemus: Ista quidem & id genus alia (cujuscunque tu aut ordinis aut conditionis extiteris) antiquorum Philosophorum exempla & sententiarum tela in nos conjicere qui satagis, næ, ego potius te exemplo primum tuo nobis præire, & tam frugalē vivendi conditionem præeligere prius optarem, quàm præeuntes nos, in seculo hoc tam ferreo & calamitoso Philosophos habeas.

Disce prior contemnere opes, & te mage dignum
Finge DEO. ———

O ingrata tempora, & deplorandos erumnosi nostri seculi mores! O misellos, hac presertim tempestate

ſtate, per omnia & in omnibus Philoſophos.

Enimvero, ſepoſitis paulùm gravioribus, (ſi quis heic facetiis in materiâ jam triſti locus) quid aliud (prout ætas fert) *Porphyrianus Logicus*, quam *Animal, vagulum, implume, tripes*; implume, deplumatus quippe & ad oſſa uſque corraſus; tripes, bacillo quippe præ imbecillitate per univerſam vitam jugiter innixus: cujus *Proprium quarto modo*, non *Riſibilitas* ſed *Flebilitas potius eſt*: Qui Categorias enumeratum it, *Subſtantiæ Categoriam* licet meditetur, in *Differentiarum ſubſtantialium* numerum, *reductivè & collateraliter* quantocyus reducitur. Quoties vero ingeminatâ *Oratione*, vel geometricam mercedis *Quantitatem*, peracto labore, in ipſo *Temporis* inſtanti proportionabiliter ſibi dari poſtulat, toties ipſe bene merentium *Lineâ* expunctus, iniquâ neſcio quâ procraſtinatione, ad *Futurum* (differentiam *Temporis* ut ultimam, ita omnium tædioſiſſimam) ingenti negativarum *Orationum* cum *Numero* & *Superficie* remittitur. Atque adeo ad *Qualitatis Categoriam* abjectiſſimè tranſmiſſus, (quum nullam *Paternæ* Miſericordiæ *Relationem* in univerſo *Relatorum* agmine inveniat) in evanidis *Naturalis Impotentiæ* ſpatiis ipſe omnium impotentiſſimus obtorpet; & ſubingruente exorbitantium *Paſſionum* quaſi phreneſi commotus, lætitiæ *Habitum*, hilaritatis *Diſpoſitionem*, *naturalem* diſſerendi dicendique *Potentiam*, *Formam* denique & *Figuram* omnem exuere cogitur. Uſqueadeo ut *Parvarum Categoriarum* quaſi Tuguriolis amandatus, cum nullum refrigerii *Locum* in *Ubi* reperiat; quandoquidem in *Quando* nullam miſeriarum relaxationem habeat; cumque in *Situ* nullam concinnam *Partium poſitionem* conſequatur; cum deque ex Officinâ τῦ *Habere* ne quidem vel ex ſacco

Togam

Togam (quâ nuditatem ipse suam cooperiat,) comperiat; amodò mendosissimi mendici in morem, erumnosissimus per omnia Philosophus huc illucque & horsùm vorsùm usque-adeo agitatur, ut cooperta *Actionis* & *Passionis* Ergasteria nolens volens subingredi cogatur; ibique tanquam in perplexissimæ difficultatis labyrintho quodam, non tam perdius pernoxque inibi operari & actum agere, in jugi laborum intensione, quàm jugiter agendo unà & pati, & subingruentes adversæ fortunæ insultus (cum nullâ vel levissimâ *Remissione*, contra ipsas *Passionis proprietates*) patientissimè tolerare; tanquam ipse expressissimum vanitatis simulachrum, imbecillitatis bulla, temporis spolium, lusus fortunæ an infortunii potius, inquietationis imago, ac (ut verbo) invidiæ & calamitatis meta foret. *Periermeneuticus* quisque dum mercedem sibi dari *simplici Propositione* postulat, toties multiplicatis *Oppositionum* telis obvoluitur; atque adeo ad *Modales* transmissus, pernegato illi *Necessario*, ad *Impossibile* ἐναντίως ἀντιφατικῶστε reducitur: *Analyticus* ille *prior*, dum *Syllogismum* in *extrema* & *medium* ritè resolvere satagit, *medio* undè vivat destitutus ipse, *extremam* vitæ *resolutionem* pati cogitur; & vel in munerum *indirectè concludentium*, vel ad *Pontem Asinorum* refertur: Quoties verò *Dabitis modum* profert, toties ipse ad *Bocardo*, qui negativè concludit, reducitur: *Analyticus posterior*, quoties *sensibilem* mercedulæ suæ *Demonstrationem* deposcit, *Pseudographemate* statim donatur; atque adeo κάτα παντὸς, καθ' αὑτὸ, καὶ καθόλου πρῶτον necessitatur. *Topicus*, dum refrigerii *locum* in *Topicis* suis quærit, ad ἔνστασιν quantocyus reducitur. *Sophisticus*, prolato semel *Sophismate*, ἐγκώμιον pro præmio reportat, tanquam *non causam pro causa* protulisset. *Ethico*, nec



co, ne vel naturalis ille *Boni* (*quod omnia appetunt*,) appetitus, tantum abest fruitio conceditur: Dum *fœlicitatem* ipse aliis clarè indigitat, ipse omnium infœlicissimus, in *Calamitates Priamicas* præceps fertur, & *Muneribus fortunæ* destitutus, αὐταρκείαν penè omnem consequentèr amittit. *Virtutem* in *mediocritate* ponendam suadeat licet, *Iustitiæ* tamen & *Liberalitatis Mediocritatem* nullam reapsè & experimento invenit. *Oeconomico Patrem Familias* esse non licet, ipsissimo non tam Oeconomicæ suæ disciplinæ fundamento, (*Conjugii*, viz. beneficio) quam rei *familiaris* mediocritate orbatus: *Principium Physico* primum, præcipuum & omnium maximè *essentiale*, *PRIVATIO* est; sed quid dixi præcipuum? Imo vero solum: Præsertim cum nec *Materiam* quâ vivat, nec *Formam* habeat, per quam vivere possit. Quodsi ergò Physico, *Privatio* sola pro *Principio* sit, quisnam quæso Principiati *Locus*? Enim-vero (cum non πέρας τοῦ περιέχοντος) Vacuum erit: Qui dum *Nutritionis*, *Augmentationis*, *Alterationis*, dum denique naturalissimum *Generationis Substantialis* modum ex professo tradit, eopse ipse temporis articulo, debitis rerum necessariarum subsidiis orbatus, præeuntibus variis adversæ fortunæ alterationibus, paulatim decrescendo interit, tandemque esse desinit. *Arithmetico*, *Numerus* solum *Numerans* pro præmio est, *Numeratus* vero haud item: Et quicquid aliàs de jucundâ *specierum* suarum theoriâ, sola illi *Subductio* in praxi est; *Additio* vero, *Multiplicatio* haud item. *Arion* Musicus tristi non tam fato quam sorte è literatorum navigio crudelissimè ejectus, presentissimo subvenientis *Delphini* subsidio destituitur, & decumanis negligentiæ fluctibus expositus, spretâ Cytharâ, cantilenam ipse suam *Cygneam* Oceano & Ventis

Ventis fundere cogitur. *Geometra* dum *Lineam*, dum præsertim *Circulum* ex professo contemplatur, momento citius ad Paupertatis *Angulum* reducitur, & exitiali Danistæ & Creditoris sui Circulo includitur. *Astronomus* recursantes *siderũ cœlestium ortus* & *occasus* diligentissimâ indagine observans, declinantis prosperitatis *occasu* conturbatur, & extremæ miseriæ *Epicyclo* inclusus, (Lunatici adinstar) uniformem cœlestis Machinæ tenorem interturbare molitur.

Spaciosissima *Terræ* Latifundia commensurabit *Geographus*, cum ne vel minimam ejusdem portiunculam qua pedem figat ipse de suo habeat. Quod denique *Metaphysico* jucundissimum videtur, eidem idipsum perquàm exitiale est: *abstrahit*, *præscindit*, quęque in re sunt naturalissimè conjuncta divisim concipit: Sed quodnam quęso tam operosi laboris brabium? nullum planè, utpote *abstractum* illud quidem & injuriâ an incuriâ nescio quâ subtilissimè *præcisum*. Usque-adeo hodie innocentissimi nos per omnia deprimimur Philosophi. DEUM immortalẽ! Quorsum adeo in singulis (quę ad tam tristem Philosophorũ conditionẽ spectãt) minutulus? O descendat heic nobis desuper exuberantis facundiæ flumen quoddam, quo, tanquam gratissimo quodam Nilo, sitibundus hic expressionis nostræ agellus fœlicissimâ aspergine irroretur, ut mille & mille id genus alia *Philosophorũ* gravamina, ærũnas molestias, curas, tædia, omnium infimus hic quem conspicitis Philosophus professione (sed ex necessitate hodie Orator) palàm commemorare queat! O vel Temporis quâ premimur angustia, vel vestra (Auditores humanissimi) quâ cohibemur patientia, vel subventuræ συζητήσεως necessitas, tantillum ferre non gravaretur! O vel heic nobis coràm præsto essent æquissimi quorum interest Iudices, qui

ces, qui nobis vindicias ſecundum libertatem dent (ut phraſi utar Livianâ) in quorum ſinu juſtiſſimas has *ILLACHRYMANTIS PHILOSOPHIÆ* & Philoſophorum querelas ſecurè deponeremus! Indè nobis liberationis quantocyus affuturæ ſpes certa: inde inveterati doloris & inquietudinis nonnulla ſaltem remiſſio, ac ut verbo, liberioris expreſſionis commodior concederetur occaſio.

Dixiſſem: & Oratiunculæ filum conſultò abrupiſſem, niſi mihi in mentem veniſſet Senecæ illud (*Vigilantis nimirum eſſe, occaſionem obſervare properantem*) niſi & inſuper ulteriori me enarratione detinuiſſet quod Idomenæo cuidam Epicurus ipſe ſcriptum poſt ſe reliquit; conſilio viz. ſuo præcipiens *ut quantum poſſit properet, antequam aliqua vis major interveniat, & auferat libertatem vel procedendi vel recedendi: nec quicquam tentandum eſſe, niſi cum aptè poterit & tempeſtivè intentari: cumque tempus iſtud venerit, exiliendum monet: Nec properandum ante tempus, nec ceſſandum in tempore.* His nos præmonitionum ſtimulis, tanquam ab epidemico mœroris & ſollicitudinis ſomno experrecti Philoſophi, negligentiæ & incogitantiæ merito coargueremur, ſi tam jucundæ opportunitatis anſam (quæ nobis vel deſperantibus commodùm hodie ſeſe obtulit) neglexerimus.

Vos igitur quorum intereſt Agonothetæ (ſi quis heic Apoſtrophę locus) vos Univerſitatis noſtrę Aberdon. Inſpectores oculatiſſimi, à Sereniſſimo noſtro CAROLO ad tanti numeris functionē perquàm opportunè & ritè deſignati, (quorum gratiſſimum adventum preſentiam, ſubſidium, *ILLACHRYMANTIS PHILOSOPHIÆ* Clientuli nos expectando expectamus) exurgite unà in vindictam & graſſantis inediæ gangrænā

exæſos

exæſos Philoſophorum poplites, providentiæ & miſericordiæ veſtræ alexipharmaco corroborate;

Nam, veluti magno in populo cum ſæpe coorta eſt
Seditio, ſævitq; animis ignobile vulgus,
Iamque faces & ſaxa volant: furor arma miniſtrat;
Tum pietate gravem & meritis, ſi forte Virum, quem
Conſpexere, ſilent, arrectiſque auribus adſtant;
Ille regit dictis animos & pectora mulcet,

Haud aliter nos (gratiſsimi adventus veſtri certiſsimo rumore & nuncio accepto) ſilentium nobis taciturni injungemus, tantiſper dum pulsâ omni inquietationis tempeſtate, tranquillâ vos Reip. noſtrę Literarię malaciam, Authoritate & Prudentiâ veſtrâ poſtliminiò reducatis: Memineritis interim modò vos, Alme-Matri Philoſophię devinctiſsimos olim extitiſſe Alumnos; Memineritis modo vos, juvenilis ætatulę veſtrę Tyrocinia ſuaviſsimo Philoſophię in gremio quondam depoſuiſſe, exindèque tanquam ex perenni ſcaturigine, ſolidioris veſtrę Prudentię, & Sapientię lac deſuxiſſe. Vos quos in tam eximium dignitatis gradum ille omnis boni largitor DEUS uſque-adeo evexit, quos denique ſacratiſsima *CAROLI* noſtri Majeſtas Reipub. utriuſque Patronos eſſe voluit: Vos per miſericordiæ σπλάγχνα, perque illam Iuſtitiæ (quam quidem hodiè ἄμεμπτοι, & ἀπροσωπόληπτοι omnes trutinatis) libram, adflictiſsimi nos hodiè, & omnium maximè infortunatiſsimi, junctis precibus ſubmiſsiſsimè comprecamur Philoſophi, ne Philoſophica hæc noſtra inter reliquas Profeſsio gravioribus infortunii, aut malevolentiæ tempeſtatibus objiciatur: Ne dum conſtabiliantur aliæ, ſola diſpendium Philoſophia patiatur. Ne hinc ultrà innocentiſsimus Ariſtoteles eat

les eat pedes; Ne indignabundus sine honore & præmio oberret Peripateticus, & perplexissimis Philosophiæ in Labyrinthis, furibundi adinstar, ulteriori inquïetatione sese divexet: Sed amotâ omni ulterioris gravaminis & querimoniæ ansâ, promptissimoque imposterum viatico instructus, Disciplinarum humanarnm agmen primus ducat, & ex officio sibi demandato Disciplinis quibuscunque aliis facem præferat.

D I X I.

Doctissimo & spectatissimo Amico, D. DAVIDI LEOCHÆO, Acad. Aberdon. Subprimario.

Siccinè fleviѕtis gelidi vos saxa Lycæi?
Sic abit in Lachrymas Mænalus ipse pias?
Pro dolor! hìc lachryma Niobes, hìc flebile Carmen,
Quale procùl patriâ Naso poëta dedit,
Spes tamen has vestras abigat Leochæe *querelas*
Spem Mæcenatum gratia certa facit.
Sic reor; atque utinam patulæ sub tegmine fagi
Melpomenen recreet nostra Thalia *tuam.*



D. W.

